

cum Dicastill., Escobar, Gobat et aliis ibi a se citatis, Bosco, *loc. cit.*, concl. 3, a num. 81; Herinex, *De impedim. raptus*, disp. 6, num. 80, et communior aliorum contra Henriquez, Guttier, Vegam, et alios. Et ratio est, quia concilium *loc. cit.* loquitur solum de raptore, et non de raptrice, unde tale decretum, utpote odiosum et pœnale, non est extendendum ad raptricem; arg. c. *Odia* 13, c. *Quæ a jure* 28, et cap. *In pœnis* 49, De reg. juris in 6.

(125. Raptus non dirimit matrimonium, si solis importunis precibus femina abducatur, dummodo preces tales non sint, ut violentiæ equiparentur; Barbosa, *loc. cit.*, n. 7; Sanchez, lib. vii, disp. 13, num. 11; Guttierrez, *De matrimonio*, cap. 86, num. 13; Bonacina, *De matrim.*, quæst. 4, punct. 8, num. 5 et 6, et alii passim. (126. Raptus, ut sit impedimentum dirimens, requiritur traductio feminae de loco ad locum; si enim quis virginem repertam in domo patris, aut in alia domo non educit de ea domo, sed illam ibi opprimit, aut trahit de uno cubiculo ad aliud, ut ibi illam commodius violet, non incurrit impedimentum raptus; Sanchez, lib. vii, disp. 13, num. 7; Navarrus, consil. 1, n. unic., tit. *De raptoribus*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 8; Fr. Emmanuel, in *Summa*, tom. 1, cap. 232, num. 2; Coninch, *De sacrament. et censur.*, tom. II, disp. 31, num. 48; Bonacina, *loc. cit.*, punct. 8, num. 6 et 8, ubi citat Molinam, Guttier., card. Tusch., et alios.

(127. Impedimentum raptus inter raptorem et raptam perseverat, etiamsi raptam post raptum libere consentiat, « si adhuc ipsa in potestate raptoris manserit. » Secus vero « si raptam a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta illum in virum habere consenserit; » *Communis*, textu expresso in Tridentino, cit. sess. xxiv, *De reformat. matrim.*, cap. 6. (128. Ubi insuper declaratur quod raptorem et fautores raptus dirimentis matrimonium sint ipso jure excommunicati, et sint perpetuo infames, et incapaces omnium dignitatum; et si clerici sint, amittant gradum clericalem; et raptor, sive matrimonium contrahat cum raptam, sive non, tenetur eam decenter dotare arbitrio iudicis. *Vide* verba præcisa concilii, supra n. 114.

(129. Raptorem, et eorum auxiliares, si fuerint laici, morte plectuntur; § *Sin autem per vim*, *Instit. de public. judic.*, et l. 1 cod. *De raptu virg.* Et insuper incurrunt excommunicationem ipso facto; cap. *Raptor*, cap. *Statutum* 27, qu. 2, cap. *Eos*, cap. *Raptorem*, cap. *De puellis*, cap. *Nullus* 36, quæst. 2, et expresse concil. Trid., sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 6. (130. Talis autem excommunicatio nemini est reservata: Barbosa, in *Trid.*, *loc. cit.*, n. 12; Panimoll., decis. 62, num. 8, et multi alii apud ipsos. (131. Si autem sint clerici, deponuntur, seu suspenduntur ab eorum officiis; conc. Trid., l. c. (132. Dictam tamen suspensionem non incurrunt ante sententiam iudicis: Barbosa, *loc. cit.*, n. 13, Panimoll. *loc. cit.*, num. 9, et alii plures citati ab ipsis; Ursaya *Insti-*

*tut. crimin.* lib. II, tit. 7, n. 146. *Vide* ipsos ibi, ubi multa habent ad rem.

(133. Impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex matrimonio rato non consummato fortius est eo, quod ex sponsalibus oritur; Bened. XIV, constit. 89, tom. 1, incip. *Inter omnigenas*, § 13. (134. Ubi pontifex mandat episcopis et missionariis Servia, quod idcirco ab hujusmodi dispensatione concedenda abstinere debeant, non obstantibus amplis facultatibus sibi concessis.

(135. Quoad jam tradita in hoc art. a num. 69 ad 80, et num. 103, de parochia affectante non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, advertendum est quod illa exceptio, *Nisi affectasset non intelligere*, apposta in decretis ibi allatis, intelligenda est de eo casu, ubi parochus qui, si nec vidit, nec intellexit, ipse sibi in causa fuit, ut non videret, nec intelligeret, propterea quod, vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit, ne audire et aspicere cogeretur, sicuti colligitur ex Fagnano in cap. *Quoniam*, num. 23, De constit., et in cap. *Quæsitum*, num. 7 et 8, De pœnit. et remiss. Neque porro æquum est, ut ab arbitrio factoque parochi pendeat libertatem matrimonii impedire, ut recte docet Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, lib. xiii, cap. 23. *Vide* *Addit. Casinenses* sub n. 80, h. art.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De impedimento *impotentia*, tum de impedimento *clandestinitatis* aliqua addere abs re haud est.

(136. Quod attinet ad impedimentum *impotentia*, aliud est, si uterque ipsum fateatur, aliud si una pars *impotentiam* alleget, altera eandem neget.

(137. Priori casu non est continuo matrimonium irritum declarandum. Quando defectus est occultus, tunc partes cohabitent per triennium; cap. 5 et 7, *De frigid. et malefic.* Triennium autem incipit currere non a tempore monitionis per iudicem, sed potius a tempore, quo primus *impotentia* defectus fuit observatus, quamvis aliquod tempus arbitrarium ad preces peragendas a iudice statui posse non negaverim per cap. 7 *De frigid. et malefic.* Requiritur præterea jure canonum, ut cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ, si propinqui defuerint, tactis sacrosanctis Evangelii, uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuerint; Zoes. ad tit. *Decretal. de frigid. et malefic.*, n. 9; Simon., *De impotent. conjugal.*, cap. 7, thes. 3, n. 4. (138. Quod si defectus patens sit, triennium haud est observandum, nec juramentum septimæ manus desideratur, ita nec ipsorum conjugum juramentum necessarium est; sed sufficit juramentum medicorum, vel matronarum ea signa per inspectionem attestantium; Simon., *De impotent.*, cap. 7, thes. 3, n. 5 et sequent.

(139. Posteriori casu, si mulier in ipsa statim novitate post mensem, aut duos proclamaverit ad episcopum, vel ejus missum, irritum declarari potest matrimonium, dummodo præterea accusatio per *justum iudicium* probetur; c. *Si quis* 53, quæst. 1; Simon., *De impotent.*, cap. 7, thes. 3, n. 2 et 3. (140. Sin autem post mox dictum tempus ad episcopum clamaverit, aiendo quod non sit cognita, maritus interim contrarium affirmet, marito tamquam mulieris capiti credendum; cap. 1, *De frigid. et malefic.*; Simon., *De impotent.*, cap. 7, thes. 4, n. 4 et sequent. Sed an inspectio decerni debeat, consule Bohemer. in *Decretal.*, lib. iv, tit. 15, § 24, et plur. sequent., qui de inspectione fuse disserit.

(141. De eo hic disquirunt auctor, an parte *impotente* contrahente novum matrimonium, irritum ipsum declarandum sit. Placet simplicius distinguere. Primum matrimonium, aut fuit irritum declaratum ex nimia membri magnitudine, et feminae arctitudine, aut ex frigiditate, aut ex maleficio (142. Si prius, cum *impotentia* non sit absoluta, sed respectiva, potest uterque conjux matrimonium cum alia persona contrahere. (143. Quod si ex frigiditate, secundum matrimonium irritum declarari debet; sin ex maleficio, firmum illud permanet; Simon., *De impotent.*, dict. cap. 7, thes. 4, n. 1 et plur. sequent.

(144. Quod concernit impedimentum *clandestinitatis*, nimium esset de eo pro dignitate disserere. Satis sit adnotare aliqua, quæ auctor, vel erronee, vel parum probabiliter firmavit.

(145. Male auctor n. 61 ait cardinalem in suo titulo venire nomine parochi, quoad assistentiam matrimonii. Ex his quæ dicta sunt supra in not. et addit. ad verb. *CARDINALIS*, articulo III, patet non habere amplius cardinalem jurisdictionem in populos, et parochianos. Quocirca non est cur matrimonii assistere amplius valeat.

(146. Nec erat cur auctor n. 71 et plur. seq., sequendo Ursayam, sustineret quod, affectante parochia non audire verba, vel non videre signa attentantium contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel hæc non vidente, invalidum sit matrimonium coram ipso contractum. (147. Licet enim admittamus non satis esse, ad implendam formam quam voluit Tridentinum concilium, materialem illam et physicam præsentiam parochi, sed requiri præsentiam moralem cum advertentia actus, qui geritur; (148. distinguendum tamen est inter parochum præsentem, et ex vi naturalis, vel accidentalis *impotentia* non audientem verba, aut signa mutui consensus non videntem, et parochum præsentem quidem, sed nolentem, et studiosè, et voluntarie affectantem non audire eadem verba, aut videre signa mutui consensus. (149. *Primo* enim casu materialis et physica parochi præsen-

(45) Ex doctrina Benedict. XIV superius relata sub n. 80, hujus artic. videtur sane non eam fuisse laudati Pontificis mentem, quemadmodum auctor

tia non sufficit ad validitatem matrimonii; secundo vero casu materialis præsentia satis superque est: sufficitque audivisse, vel vidisse testes, si parochus audire aut videre noluisset, cum posset.

(150. Et ratio vehementissima est, quia concilium Tridentinum non requisivit consensum parochi in contrahendo matrimonio, neque matrimoniorum libertatem ita angustare voluit, ut esset in cujusque parochi potestate illorum celebrationem impedire per suam ultimam voluntatem, et affectatam non intelligentiam, sed præsentiam parochi, uti publicæ personæ, requisivit ad tollendam clandestinitatem actus; ideoque si parochus præsens est, repugnet licet, simul non audire, fugiat, increpet, faciat quod lubet, satis est esse præsentem, ut respondit Rota in *Majoricen. matrimonii*, 3 Jul. 1748, cor. R. P. D. Canilliae. Et fuit sensus sacre congregationis Concilii interpretis in *Nicien. matrim.*, 27 Mart. 1751.

(151. De matrimoniis contractis, non servata forma concilii Tridentini, inter hæreticos, vel hæreticos inter et Catholicos, in locis hæreticorum, in quibus fuit promulgatum concilium Tridentinum, de quibus agit auctor, n. 112 et 113, tum alibi, vide quid decreverit Benedictus XIV, die quarta Novembr. 1744; « super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta, et contrahenda. »

#### Responsio auctoris.

« Male auctor n. 61 (verba sunt D. additoris hic supra n. 146, relata), ait cardinalem in suo titulo venire nomine parochi, quoad assistentiam matrimonii. » Sed quoad hæc jam satis dictum est in verb. *CARDINALIS*, art. 3, n. 20, et art. 4, post n. 4. Ad id autem, quod subjungit n. 147, dicens: « Nec erat cur auctor, n. 71 et plur. seq. sequendo Ursayam sustineret quod affectante parochia non audire verba, etc. » observet prudens lector quod omnia ibi tradita collegit, et sustinuit clarissimus Ursaya, celeberrimus advocatus Romanus. Et similiter in re sensit Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. xiii, cap. 23, n. 10 et 11 (45). Decretum autem sac. congr. Conc. in *Nicien. matrimonii* ad ejus sensum a D. additore adductum, ut editum 21 Mart. 1751, fuit jam a me productum in *Supplement. secundæ editionis Venetæ*, qua ipse D. additor est usus, sed non editum dicta die 27 Mart. At vero, ut ex *Thesaur. Resolut. S. C. Concilii*, editionis Roman. dicti anni 1751, diebus, ut sequitur. *Nicien. matrimonii*, an constet de validitate matrim., etc. S. C. Concilii die 13 Februar. 1751, respondit *affirmative, et amplius*. Deinde ad instantiam D. Baronis, proposito dubio: « an sit standum, vel recedendum a decisis in casu, etc. » eadem S. cong. die 24 April. 1751, respon-

supponit, si ita sentit, ut sub n. 71 et seqq. art. cit. Edit. Casin.



dit : *dilata ad primam omnino*. Iterum, instante D. Barone, et proposito dubio : « an sit standum, vel recedendum a decisio in casu, etc. » sub die 8 Maii 1751, non fuit talis causa dicta die proposita. Noviter adhuc repropósito eodem dubio : « an sit standum vel recedendum a decisio in casu, etc. » Eadem sac. congreg. sub die 22 Maii 1751, respondit : *dilata ad primam*. Repropósito tandem eodem dubio : « an sit standum, vel recedendum a decisio in casu, etc. » Eadem sac. congreg. sub die 19 Jun. 1751 respondit : *in decisio, et amplius*. Et super hac causa egomet fui consultus. El circa id, quod D. additor ib., sub n. 152, subjungit de matrimoniis contractis, non servata forma concilii inter hæreticos, vel inter hæreticos et Catholicos in locis hæreticorum, in quibus fuit promulgatum concil. Trid. de quibus agit auctor n. 112 et 113 tum alibi; vide quod decrevit Benedict. XIV, die 4 Novembr. 1741 super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda; jamque a me de his et similibus traditum est in *Supplem.*, verb. *Matrimonium*, quidquid sancivit dictus Summus Pontifex, tum in cit. const., 4 Novembr. 1741, quæ incipit *Matrimonia*, tum in aliis consimilibus. Vide *ibi*, ubi abunde de omnibus.

## ARTICULUS VII.

Quoad ea quæ concernunt facultatem dispensandi in impedimentis matrimonii.

## SUMMARIUM.

1. Papa dispensare potest super quovis impedimento impediante, et super impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. — 2. Papa ex præsumpta Dei voluntate, urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de jure divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur. — 3. Hinc papa dispensare potest, gravi urgente necessitate, ut presbyter, seu religiosus, vel religiosa contrahat matrimonium. — 4. Afferuntur gravia exempla similibus dispensationum. — 5. Papa dispensare potest in matrimonio rato nondum consummato. — 6. Nequit autem Papa dispensare in matrimonio fidelium jam consummato. — 7. Afferuntur, et solvitur instantia. — 8. Papa, proprie et rigore loquendo, nequit dispensare in illis impedimentis, quæ sunt juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate. — 9. Potest tamen papa jus divinum interpretari et declarare, quod in aliquo casu valde particulari propter aliquas gravissimas circumstantias, non obliget. — 10. Legati a latere, et nuntii apostolici possunt dispensare in sua provincia super omnibus illis impedimentis, super quibus possunt dispensare episcopi in sua diocesi. — 11. Insuper solent legatis et nuntiis concedi a summo pontifice aliqua alia specialia facultates, et quantum ad præsens dispensandi super impedimentis matrimonii enumerantur. — 12. Omnes tamen debent attendere præcisum tenorem specialium sibi concessarum. — 13. Consimiles dispensandi facultates solent obtinere episcopi Germaniæ, Indiarum, alique in aliis remotioribus partibus. — 14. Episcopi independentes a similibus specialibus facultatibus possunt pro utroque foro ex aliqua justa causa dispensare in duobus impedimentis jure

ecclesiastico solummodo impediuntibus, scilicet *sacramento tempore, et vetito*. — 15. Episcopi possunt etiam ex justa causa dispensare super impediante impedimento voti cujuscunque, Papæ non reservati. — 16. Episcopi, ordinarie et regulariter loquendo, nequeunt de jure communi dispensare in ullo impedimento dirimente. — 17. Extraordinarie tamen, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis possunt episcopi dispensare pro foro conscientie in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. — 18. Imo, etiam ante contractum matrimonium possunt episcopi dispensare in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus ex urgent. etc. \* Subnectuntur ad rem addit. Cas. — 19. Vicarius generalis episcopi, vi officii sui, sine speciali mandato nequit dispensare super impedimentis matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest episcopus jure ordinario. — 20. Multo minus potest vicarius generalis, vi officii sui, sine speciali mandato dispensare pro foro externo super illis impedimentis super quibus episcopus dispensare potest ex speciali facultate a Papa concessa. — 21. Episcopus potest vicario generali, et aliis sacerdotibus idoneis communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro. — 22. Et communicare etiam eam facultatem, quam habet jure ordinario pro foro interno. — 23. Non sufficit tamen generalis dispensatio, sed requiritur speciale mandatum, seu specialis delegatio, seu concessio. — 24. Capitulum, sede vacante, ejusque vicarius capitularis valide et licite potest dispensare pro foro conscientie super eisdem impedimentis occultis, super quibus potest episcopus jure ordinario. — 25. Non potest tamen dispensare super iis impedimentis, super quibus dispensat episcopus ex speciali facultate, seu privilegio. — 26. Commissarius hujusmodi potest dispensare pro foro conscientie in contracto ante matrimonium impedimento affinitatis ortæ ex copula fornicaria in primo, vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quam rectæ, dummodo concurrant aliqua conditiones, quæ assignantur. — 27. Commissarius cruciatæ potest legitimare prolem susceptam ex matrimonio hujusmodi post notitiam utriusque conjugis de impedimento quoad ordines et beneficia tantum. — 28. Non potest tamen commissarius cruciatæ legitimare prolem, quæ ex impedimento est illegitima; quando uterque conjux est in mala fide, nisi dispenset etiam in matrimonio, et matrimonium cum effectu contrahatur. — 29. Commissarius cruciatæ dispensare potest super impedimento orto ex affinitate superveniente ad petendum debitum. — 30. Omnes confessarii regulares Mendicantes, vi privilegiorum, possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati. — 31. Non habent dicti confessarii regulares privilegium dispensandi super omnibus impedimentis, tam dirimentibus quam impediuntibus, super quibus jure ordinario dispensare possunt episcopi. — 32. Juxta varios magni nominis doctores possunt confessarii regulares post matrimonium, sive bona, sive mala fide jam contractum, dispensare in foro interno super occulto impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, et prolem inde susceptam legitimam declarare. — 33. Ast vero contraria sententia tenenda est cum communi aliorum. — 34. An, et quando, et cum quibus possint regulares, et alii dispensare ad petendum debitum, *remissive*. — 35. An dispensatio sine justa causa sit valida et licita, *remissive*. — 36. Regulares, in iis in quibus habent privilegium dispensandi, non possunt hoc facere extra sacramentum penitentiae. — 37. Alii tamen tenent oppositum; alia ad rem ad n. 42. — Subnectuntur *Addit. ex aliena manu* ad n. 45. — Item *Addit. Casin.*

(1. Papa potest dispensare super quovis impedimento impediante, et super impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. *Communis*, arg. cap. *Proposuit* 4, De concessione præbendæ, ubi Pontifex de sua potestate loquens sic expresse dicit : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. » (2. Papa ex præsumpta Dei voluntate, urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de jure divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, et ad Deum referuntur, ut in impedimento voti solemnitis, et hujusmodi. Hostiensis in c. *Non est* 5, *De voto*, num. 1, et ibi Abbas, num. 5; D. Thomas, in 4, dist. 38, qu. 1, art. 4, quæstiuncula prima in corpore, et ibi Richardus, art. 9, qu. 1, in corpore, et ad primum; Henriquez, lib. viii, *De Eucharistia*, cap. 13, n. 2, *In comment.*, litt. R; Rosignolus, contract. 13, *De matrim.*, 3, prænot. 10, n. 1; Sanchez, lib. viii, disp. 6, n. 2, ubi testatur de communib. (3. Hinc Papa dispensare potest, gravi urgente necessitate, ut presbyter, et religiosus, seu religiosa, contrahat matrimonium. S. Thomas in 4, dist. 38, qu. 1, art. 3, ad 4, ubi sic præcise dicit : « Si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provincie exposceret, posset convenienter, et in voto continentie, et in voto religionis dispensari, quantumcunque esset solemnizatum : non enim per votum posset se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis posset imminere necessitas, ut posset alicui juste prohiberi ne continentiam aut religionem voveret, et eadem necessitate manente, potest etiam in voto dispensari jam facto ». S. Antonin., in ii par., tit. 11, cap. 2, § 9, et in iii par., tit. 1, cap. 15, § 3; Medina, *De sacror. homin. continentia*, cap. 21, cum plurib. seq.; Tolet. in *Summa*, lib. iv, cap. 19, n. 6, et pluribus aliis citatis; Fagnanus lib. iii *Decretal.*, in cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor., num. 65 et 66, ubi dicit hanc esse sententiam communem theologorum, ac fere omnium canonistarum, quam etiam tacite approbarunt varii Summi Pontifices, qui dispensarunt cum episcopis, cardinalibus religiosis, et monialibus, ut videre est apud Corrad., in *Praxi dispensat.*, lib. viii, cap. 10, nu. 28, et apud ipsum Fagnan., *loc. cit.*, et alios.

(4. Cælestinus enim III dispensavit cum Constantia filia Rogerii Siciliæ regis, quæ, cum esset monialis professa Panormi, nupsit Henrico VI et ex tali conjugio jam quinquagenaria genuit Federicum secundum, ut referunt Cajetanus in 2-2, quæst. 88, art. 11, in princip.; Fagn., *loc. cit.*, n. 69; et alii. Alexander III dispensavit ad nubendum cum Nicolao Justiniano sacerdote monacho in monasterio S. Nicolai ordinis S. Benedicti ad instantiam Venetorum ducis, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto *De thesaur. religios.*, lib. ii, qu. 36, num. 5, et Pineda, in *Monarchia ecclesiastica*, par. 4, lib. xxv, cap. 7, § 1, pag. 84. Fagnan., *loc.*

*cit.*, n. 66. Gregorius XIII dispensavit cum fratre cardinalis Jojosæ Gallo sacerdote professo, et provinciali ordinis Capuccinorum, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto, *loc. cit.*, qu. 46, a num. 8; Fagnan., *loc. cit.*, num. 66, et alii. Alexander VIII, 14 Jan. 1690, cum Francisco Leopoldo comite Slabata canonico Passaviensi subdiacono, ut refert Reiffenst., lib. iv *Decret.*, tit. 6, n. 16; ubi testatur fuisse alias sic dispensatum cum Cæsare Borgia, qui prius erat cardinalis diaconus; cum Ramiro Aragonum rege, qui prius erat episcopus, et cum pluribus aliis; et Justus Redu tom. II *Operis canonico-politici*, tit. 8, fol. 208, refert quod Juditha fuit monialis Ratisponensis, et dein trium regum conjux, scilicet Breislai Bohemiæ, Mecislai Poloniæ, et Petri Hungariæ. Et multa alia exempla similibus dispensationum refert Ursaya tom. IV, par. ii, disc. 5, per tot.

## ADDITIONES CASINENSES.

Minus accurate auctor tradit sub num. 4, h. art. Cajetanum, etc., secutus, Cælestinum III dispensasse cum Constantia moniali professa, ut nubere posset Henrico Federici I filio, postea imperatori. Siquidem multa sunt quæ hujus facti falsitatem, nempe quod monialis esset, evincunt.

« Ac primum, cum constet eandem Constantiam post obitum (\* Rogerii Patris \*) natam posthumam (\* scilicet anno 1154 \*) plane eluditur fabula illa, quam idem Fazellus narrat de eadem ipsa Constantia, quod percussus pater rex valencio Joachim abbatis, quo asserebat, si nupsisset, funestam futuram Siciliæ facem, fecerit eam re-trudi in monasterium, atque religionem profiteri monasticam; nam si vivo patre rege, ipsa non nata : quomodo potuit per eum monacha effici, atque professa? sic igitur vides, lector, pudendum detectum errorem de falsa origine Constantiæ monachatus : » verba sunt Baronii, ad ann. 1186, n. xxx.

Deinde incongruum sane est Cælestinum III dispensasse cum antedicta Constantia ad matrim. contrahendum, quippe, Godefrido Viterb. teste, in *Chron.* inter ipsam, et præfat. Henricum nuptiæ secutæ sunt Mediolani 27 Januarii 1186. De hujusmodi nuptiis hoc eodem anno secutus Sicardus in *Chron.*, Otto de S. Blasio, in *Chron.*, et Galvanus Flamma, in *Manip. florum* testantur : quibus et Gofridus monach. S. Pant., in *Annalibus* astipulatur, licet matrimonium, de quo sermo est, in octava Epiphan. apud Ticinum, præfato anno 1186 contigisse affirmet. Porro cit. anno (1186) Urbanus III Petri cathedram tenebat, non autem Cælestinus III, qui non nisi anno 1191 Pontifex fuit electus, quando nimirum matrimonium ejusmodi ab hinc quinque annis amplius, uti vides, jam fuerat effectum. Præterea nullus ex scriptoribus coævus, nempe cit. Godefridi Viterb., Hugonis Falcandi, Arnoldi Lubecensis, Romualdi Salernit. archiep., Guillelmi Neubrigensis, Rogerii de Hoveden, at abbatis Uspergensis, ultra alios supradictos,